JO. ANTONIO PROSDOCIMI

PRIMUM SACRA FACIENTI

ELEGIAE

DE SALZENA EJUS PATRIA

ET

IN SALZENAE PATRONUM D. URSIUM

HYMNUS

PATAVII
TYPIS SEMINARII
MDCCCXLIV
CUM ADPROB. EPISC.

DE SALZENA

ELEGIA I.

Quae modo Patroni de nomine dicitur Ursi (1),
    Salzena insigni nobilis arce fuit (2).
Illa truces olim potuit cohibere tyrannos;
    Et varia eximios edidit arte viros.
Imminet huic celsus, medicis mons fertilis herbis,
    Summo ex infernis Manibus ille sacer (3).
Ditis ubi monstrum infelix, hirto aureus ore,
    Villisque et curvis cornibus, hircus erat.
Matronae, lectique viri, populique frequentes
    Promebant larga maxima dona manu.
Et pacem orantes umbris, sua rite petebant
    Infandi ante fores Numinis ossa tegi.
Demum Prosdocimus devotas diruit aras,
    Et subito stygias fulmine fregit opes.
Tum caeli Dominam merito dat honore colendam,
    Cui pura templum relligione dicat.
Undique collectas concursu accedere magno,
    Et longo gentes ordine conspiceres.
Quam multae, gelidis quum turbo aquilonibus actus
    Incubat, in sylvas agglomerantur aves.

Patrum deinde manus montana cogitur aede,
Reginam et supplex nocte dieque canit.
Salve, Diva potens! Tu diri invicta draconis
Proculcas forti colla superba pede.
Atque hominum cladem et vastas miserata ruinas,
Abreptos Erebo mater amica foves.
Quae vis, quae caros tacitis sors effera claustris
Deturbat Fratres, et tibi, Virgo, rapit?
Vis rapit ah! Fratres, certo qui foedere juncti
Gaudebant adytis semper adesse tuis.
Heu! cessant cantus solitaeque cacumine laudes:
Heu! fana ac montem luctus et horror habent.
Ergo age, Summano libeat descendere ab alto,
Et propius nostris casibus affer opem.
Hic Tu promerito melius celebrabere cultu,
Et decora ubertim splendidiora feres.
Te structis Salzena novis altaribus accit,
Oppida Te votis, Te pia rura vocant.
Quin sibi Te impatiens exposcit et Ursius addi (4)
Sacrato inferius quo manet ipse loco.
Non laus hunc, patriique lares, Gallique faventes;
Non hunc Dalmatiae splendida sceptra tenent.
Pro tali nil Matre grave est. It paupere amictu
Succinctus, baculo corpora fessa levans:
Cruraque nudatus, ventos immotus et imbres
Perfert, »et durae mille pericla viae».
Atque brevem carpens ingrato in stramine somnum,
Jejuna attenuat languida membra fame.
Ecce autem campos late permensus et urbes,
Tandem Salzenae subdita prata subit.

Tum vero laeta affusus dulcedine mentem,
    Ardenti palmas tendit et ora prece:
Sit fas, alma Parens. mihi dulces visere vultus,
    Inque tuas vitam reddere posse manus.
Sic ait; et clivum aggressus, radice sub ipsa
    Virtute abrumpit deficiente gradum.
Languentem Superi mulcent; vinclisque solutam
    Corporeis animam tollere in astra parant,
Caelesti ornantes pompa dignoque triumpho.
    Sparguntur mixtis lilia cana rosis.
At recipit Divi corpus, sacra pignora, tellus;
    Quem sibi perpetuo firmat amore patrem.

ELEGIA II.

Quis Deus Ausoniis ignotam protulit artem,
Aeneaque instituit cudere verba libris?
Tu mirum moliris opus, Salzena, novisque
Prodigiis hominum corda oculosque moves (5).
Et Bergam ausa quidem primis praecedere palmis,
Hac totam Italiam vincere laude paras.
Littera procuso laevis caelatur in aere,
Singula quae spatiis jungitur apta suis.
Aera locant alii quadris digesta paratis,
Qua monstrat tenuem linea recta viam:
Insternunt alii tabulas, madidasque papyros
Figunt: summa alii signa colore linunt.
Dein praelum super intorquent: formasque legendas
Et nitidas voces pagina pressa refert.
Jamque modum excedunt speciosa volumina notum,
Omnes et cellas accumulata replent.
Hei! quot tempus edax veterum miracula rerum
Obruit, aut casus funere mersit atrox!
Plurimus at codex posthac servabit in aevum
Artificum laudes, carmina, facta, duces.
Seu studiis fovet industres pax candida curas,
Bellica seu Mavors horridus arma eiet;
Cuncta simul Rhodanus discunt, et Iberus, et Ister:
Inque vicem nobis quaeque remota patent.

Quid dubitas claris extendere nomina factis?
Non jacet angusto fama sepulta loco.
Indita nam chartis Libycas ea vulgat in oras,
Extremosque Indos, Antipodasque docet.
Talia dum recolo admirans, avertit eburna
Contactum leviter blandus Apollo lyra.
Respice, qua occiduos, inquit, tua patria spectat
Soles, ut caveis eruta candet humus! (6)
Fit via snb caeca in latebras caligine longas,
Intima et effossi viscera montis hiant.
Undique defendunt aditus compage tenaci,
Instantemque arcent robora firma necem.
At labor ingeminans fervet, cumulatur et agger
Aggere, et imposito pondere plaustra gemunt.
Inductis juxta purgatur mersa lacunis,
Exit et intactas massa imitata nives.
Jam vero in panis premitur densata figuram.
Quanta hinc Salzenae fama decusque venit!
Hnc omnis quippe ingeritur, stabilesque tabernas
Finitimis tellus auget abacta jugis.
Utque peregrinam pelago vim saepe reportant,
Et rara ditant oppida merce rates:
Terrae sic onera absentem ditissima in orbem
Connixis iterans machina vectat equis.
Quae virtus illi, varios quam commoda in usus,
Eximiis dicet docta Minerva modis.
Nunc age, si solidas optas attollere sedes,
Quae nullo possint turbine damna pati;
Pinguc tibi hinc sabulum sumas, lymphisque soluta
Miscens calce liga: murus ahenus erit.

Sin mavis animum jucundo pascere visu,
Grandia quam late, quam tibi pulchra patent !
En campi, et villae, Bericique ex ordine luci,
Et quas Palladius sustulit arte domos.
En Patavi ante oculos manifesto in lumine turres,
Tectaque lustrandis edita sideribus;
Quasque adeo Tethys ponti regina superbas
Adriacis moles ardua jactat aquis.
Ne tamen externis inhies. Nil collibus istis,
Istis nil poterit dulcius esse plagis.
Perpetuas sed enim, miscentes carmina ludis,
Delicias passim Chloris et Hora creant.
Hic saltus, umbrae, valles, volucresque canorae,
Hic Hybla, atque viis culta Britanna vagis.
Hic decor Aonidum laurus, nigransque cupressus,
Myrtusque, et glaucis uber oliva comis.
Narcissusque, crocusque ruber, mollisque hyacinthus,
Et thymus, unde onerant mella coacta favos.
Sub bruma et tepidum caelum, violaeque reclusis
Floribus; et vacui nube rigente dies.
Non usquam melius fragrantia tubera, et almi
Caules, supremo fercula digna Jove;
Fragaque, et asparagi sapiunt, ficusque liquentes;
Gratius aut animos cedrus odora beat.
Quales Paeoniae hic herbae! Quam baccàra, malvae,
Menthae, inulae, panaces, et meliphylla valent!
Queis latera auxiliis abigunt stomachusque dolores,
Vulnera sanantur, pallida febris abit.
Sic constat secura salus viridisque senecta,
Integra et impuro sanguine vena caret.

Quid memorem vitreo labentes gurgite rivos,
    Quasque levamen aquas *Petra* dat *Alta* malis? (7)
Cedite Bajarum latices ac Thessala Tempe,
    Castalidum fontes cedite et Hesperidum.
Quantum haec rura juvant! Valeant trepidae usque tumultu
    Urbes, et misero gaudia plena metu.

ELEGIA III.

Adsis, magne Deus, venerando illabere Templo,
Atque nova facilis sede habitare velis.
Caelicolae zephyros, et inane, et nubila eunti
Sternant, atque alis ora verenda tegant.
Et sancta accelerent penetralia pandere Regi,
Ac solium flexo sustinuisse genu.
Mentior? An Templum surgit, mirabile Templum,
Quale his non aetas extulit ulla locis?
Salzena in media, Summani limite primo,
Qua morbos abigens cominus unda fluit;
Mollia ubi nuper tondebant gramina vaccae,
Mulcebatque vagos rustica avena greges;
Apricum muris spatium tumulusque paratur,
Quos non laedat hyems, inficiatve situs.
Quali in agros ardore ruunt, segetesque coloni
Cogunt, et gravidae munere messis ovant:
Sic laribus se alacres fundunt juvenesque senesque;
Abjecta mulier convolat ipsa colo.
Ocyus exportant disjecti culmina clivi,
Effodiuntque alte, primaque saxa locant.
Pars ferro excidit rupes; et pulvere rupta
Sulphureo, avulsi fragmina montis agit.
Marmora pars aptat, celsis decora alta sacellis;
Pars fingit solidas, munit et aere trabes.

Pars sudant sylvis, et strata e vallibus imis
    Contento obnixi robora fune trahunt.
Succedunt aliis alii: late omnia plausu,
    Et laetis reducum vocibus antra sonant.
Materiae passim omnigenos miramur acervos,
    Quos crescente brevis collocat aede dies.
Duplex jam paries, jam valvae araeque minores
    Stant positae, atque adytis interiora piis.
Quis possit strepitus, et vim, molemque referre,
    Atque hominum nisus, unanimesque manus!
Nam laudanda viros inflammat cura Sacrorum,
    Et pietas operi sola ministrat opes.
Sufficit, exiguus si victus suppetat illis,
    Nec cupidos auri divitis urget amor.
Ecce autem fulti eductis sub sidera lignis,
    Ardua solliciti condere tecta parant.
Exagitans trochleas et concita tympana tortis
    Restibus, assiduum machina tollit onus.
Fervet ubique labor, ceu quum navalibus olim
    Armantur fortes in fera bella rates.
Multiplici inter se nexu, ferroque tenaci
    Compactos arcus, et tabulata ligant.
Mox validis ponunt fastigia nixa catenis,
    Quae tractus lati fornicis unus obit.
Te duce, Marcolonge, initum, feliciter annus
    Quintus perfectum, te duce, vidit opus.
» Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt »,
    Dum rutilo Phoebus proferet axe diem.
Quicumque accedit, miracula cernere jurat,
    Ac stupet obtutu fixus, et haeret hians.

Haud certe invideam praeclaras urbibus aedes:
Non minor huic nitida fronte renidet honos.
Ultima respondent primis, atque infima summis;
Atque animos operum gratia mira rapit.
Quam bene miscetur quadrata columna rotundis,
Frondeaque elato vertice serta gerit!
Ducta corona super, formas imitata Corinthi,
Projecta in longum brachia tendit iter.
Quam folia et flores ornant, contextaque mala,
Et rara egregius circuit arte decor.
At Titulum concepta indit sine crimine Virgo.
Nomine nil tanto dulcius esse potest.
Haec fons perpetuo signatus, clausus et hortus,
Vincit inaccessis lilia septa rubis.
Pulchra, ut luna quidem; ceu sol, electa coruscat;
Incutit, ut denso milite castra, metum.
Carmeli decus hinc Divae praefulget, et Ara (8);
Ter quinis illinc texta Corona rosis.
Exin Prosdocimus mitra lituoque decorus
Divinis Patres ritibus instituit.
Saucia sed Christus sua corda recludit, et igne
Urere molitur pectora nostra pari.
Aula Dei haec. Procul immundi, procul este, profani
Et sontes: Illi nonnisi casta placent.
Aula Dei haec. Linguis omnes animisque favento,
Et venerans teneat cernua corda pavor.
Adveniat purus pura cum veste sacerdos,
Solvantur digna candida vota prece.
Nunc sociare decet numeris exacta recenter
Organa, et ornatis sacra litare modis.

Anne igitur, totus quem non complectitur orbis,
Exigua immensum claudere fana rear?
Proh pietas, et amor! Non ullum gentibus usquam,
Quod miseros foveat, tam prope Numen adest.
Hic (ait ipse) oculis intentus et auribus adsto,
Ne quisquam hic orans possit acerba pati.
Hic ego pupilli gemitum, viduaeque levabo;
Jucunda hic inopes exsaturabo dape.
Hydrasque et rabidos tribuam calcare leones
Impune; et fausta pace bonisque frui.
Sic Pater erectos ardet sibi jungere olympo,
Quos ditet manibus Regia structa suis.
Pandite, Caelestes, aeternae pandite portas
Arcis: fas illuc sit mihi ferre pedem.
Oh Templum immane! Oh summi sacraria Regis!
Quam superant nostras tecta superna domos!
Bis seno fabrica insistit fundamine; et una
Omnia sustentat nescia Petra quati.
Inde rudes absunt lapides, et vilia tigna,
Et quidquid labes, fraudis et umbra notat.
Quae circum species! qui rerum nobilis ordo!
Quae splendet nova lux, et sine sole jubar!
Magnifica ex vivis constant laquearia gemmis,
Vivis ex gemmis moenia tota micant.
Chrysolithis variatur onyx, adamante smaragdus;
Ex auro postes, atria, strata, viae.
Quo feror imprudens arcana expromere caeli?
Talia mortali non licet ore loqui.

IN D. URSIUM HYMNUS

Salzena, laetis excipe
Magnum Patronum vocibus:
Adest daturus URSIUS
Nostris salutem casibus.

Quem DIVA SUMMANI potens
Longinquo ab orbe suscitat;
Tibique, functum plurimo (9)
Labore, Patrem dedicat.

Natalis illum Gallia,
Certantque habere Dalmatae:
Suorum honores Ursius,
Et sceptra spernit inclyta.

O Praeses, o nostrum decus!
Tuo vocari nomine
Tellus virique gaudeant,
Et vota in annos solvere.

Per te ingruentis grandinis
Eurique cessat impetus:
Morbi fugantur: innocens
Lupa inter agnas accubat.

Per te profusis arida
Arva irrigantur imbribus:
Lanae atque lactis copia,
Plenaeque fruges affluunt.

Tu rite fulmen vindici
Manu Tonantis eripis;
Qui mox reducens iridem,
Sinu dolentes suscipit.

Tuo abdicamus munere
Vitae profanae gaudia;
Fractisque ovantes hostibus,
Regno potimur Caelitum.

Summo Parenti gloria,
Natoque, et almo Flamini;
Qui promerentem fulgidis
Stellis coronant Ursium. Amen.

ADNOTATIONES

(1) Salzena a s. Ursio Patrono suo appellatur *Santorso.* Ac nostris solemne et dulce semper fuit, ut viri ipsi tali nomine in ejus obsequium plurimi nuncuparentur.

(2) Salzenae castellum ab Eccelino tyranno crudelissimo dirutum est: cujus reliquias adhuc videre licet ad superius ejus templi latus, ubi D. Ursii corpus reqniescit.

(3) Celeberrimus erat apud veteres Pluto Summanus, ita dictus, quasi *Summus Manium*; cui in hirci effigiem confecto, non solum ex tota Italia, sed etiam ex Germania aliisque nationibus, supplicatum veniebant. — D. Prosdocimus, Apostoli Petri Discipulus, Antistitis dignitate auctus, illum evertit anno LXXVII. a Christo nato; et in ejus locum B. Virginis simulacrum statuit (quod memoria in lapide inscripta et in montis delubro servata docet) singulari populorum cultu ac religione perpetuo veneratum; adeo ut Eusebius Jordanus testetur, se vivente, quatuor millia hominum et amplius sub una die ad illud visendum non raro concurrisse. — Postquam illinc dimoti sunt *Fratres Hieronymini ex Congregatione B. Petri de Pisis*, qui se Dei Matri devoventes ibi diu floruerunt; die 19 maj. an. 1777 illud de monte delatum buc est solemni pompa, positumque juxta D. Ursium in Sacello per Othonem Calderarium nob. co. vicet. descripto.

(4) Ursius in Gallia nobili genere natus est, magnamque sibi virtutibus laudem comparavit. — Inde digressus, se in Dalmatiam contulit; ubi regis filia in uxorem accepta, regnum ipsum post ejus obitum adeptus est. — Quum vero patrem (quem quidem e Gallia profectum regina nurus apud se exceperat; Ursius autem rei nescius, paullo post superveniens, non patrem sane, sed alium quemdam esse arbitrabatur), et simul conjugem suam parvumque filium subitis furiis compulsus interfecisset: abjecto ornatu

regio ac sceptro, ut crimen expiaret, difficillimas ad loca sancta peregrinationes suscepit. — Denique duodecimo vitae acerbissimae anno peracto (ex quo 12 Pater, Ave, Gloria diebus ei sacris recitari consueverunt) Salzenam advenit: quumqne Summanum montem scandere coepisset, B. Virginem invisurus; prope eum locum ubi conditus fuit, labores finivit, caelestem coronam consecutus anno DCCC. v. nonas maj. (800 die 3 maj.) — Quem majores nostri jam tum in praecipuum sibi Patronum delegerunt.

(5) Inter ea, quae hic typis edita sunt, quaeque in publicis bibliothecis tamquam rara et pretiosa monumenta asservantur, commemorare lubet:

1. Vite de' Santi Padri scritte e volgarizzate da diversi, anno Domini MCCCCLXXIIII. — Compresso in sancto Urso per Leonardo dy Basilea.

2. P. Terentii Afri Comoediae, cum ejus vita et epitaph. — MCCCCLXXV. in sancto Ursio Vicentiae districtu Johannes de Reno impressit die ultimo aprilis.

3. Miracoli de la gloriosa Vergene Maria. — Per Jo. de Reno in sancto Ursio 1476.

(6) Plerique *Terrae Albae* possessores, et quidem primarii, ad Salzenam omnino pertinent: in cujus tabernas etiam quae e finitimis *Trettis* eruitur, convehi solet, atque ingenti commercio varias in partes ultra ipsam Italiam exportatur.

(7) Ex *Petralta* (vulgo *Prialta*) aliquanto supra Parochi aedem exoritur aqua ad aegrotationes pellendas utilissima, quam permulti sub aestate bibendam petunt.

(8) Ab hoc versu usque ad sextum indicantur altaria minora, unum B. Mariae Virgini de Carmelo, alterum S. Rosario, tertium D. Prosdocimo, quartum SS. Cordi Jesu dedicatum.

(9) Functus est Ursius labore plurimo, antequam Salzenam perveniret: gravissima enim per 12 annos pertulit, inops, sordidatus, aeger, atque omni itinerum tempestatumque acerbitate vexatus.